



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

Additio. Bona morientium Episcoporum à laïcis diripi prohibuerunt Vrbanus secundus & Innocentius secundus, itemque Callistus secundus. Referuntur canones Concilij Tolosani sub Callisto habitu, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

## & Imperij Lib. VIII. Cap. XVIII. 421

Idipsum quoad laicos qui bona mobilia decedentium Episcoporum invadabant prohibuit Urbanus secundus in Concilio Claramontensi anno M X C V , itemque Innocentius secundus in Concilio Lateranensi anno M CXXXIX . quorum decreta adfert Gratianus 12 . q . 2 .

X I . Ideo aurem antiquas regulas canonicas adducere heic placuit , ut omnes inteligerent redditus patrimoniorum Ecclesiae vantantis , ac spolia Episcoporum decedentium , nunquam pertinuisse ad Principes , quin imo universa haec emolumenta servari debuisse expendenda in utilitatem Ecclesiae , & pro futuro successore . Quod adeo placuit vetustis illis Episcopis Gallicanis ut jus illud in canonibus eorum fuerit constitutum , in Concilio nempe Reiensi habito anno C D X X X I X . canone quinto , in Francofordieni anno DCCXCIV . can . X L . in Pontigonensi anno DCCCLXXVI . can . XI V . & in Troleiano anno nongentesimo nono can . decimo quarto , ex quo colligere licet tum ccepisse invalescere usum illum occupandi spolia Episcoporum : *Quia inter nos fratres hic pessimus inolevit nos ut defuncto Ecclesie Episcopo mox a quibuscumque potentioribus pervadantur res Ecclesiasticae.*

### A D D I T I O

#### S T E P H A N I B A L U Z I I .

PESSIMAM illam consuetudinem , qua receputum ubique in Occidente erat ut bona morientium Episcoporum diriperentur à laicis , coercitam esse ab Urbanu II . & ab Innocentio II . recte adnotat illustrissimus Archiepiscopus . Et Urbani quidem decretum in synodo Claramontana factum à nobis editum est suprà in Additione ad cap . XXXI . lib . V . ex veteri codice M S . monasterij Anianensis . Post Urbanum , & ante Innocentii tempora , Callistus secundus idem statuit anno M C X I X . in Concilio Tolofano ; ut testatur Bernardus Guidonis Episcopus Lodenensis his verbis à Catello relatis in libro quinto Memoriarum historiæ Occitanicæ pag . 877 . *Primitia quoque , & decima , oblationes , & bona cetera deficientis Episcopi & Clericorum fuerunt Principibus & quibuscumque laicis sub pena sacrilegij interdicta . Sed extant in eodem codice Anianenisi canones synodi illius à Callisto secundo in cathedrali Ecclesia sancti Stephani celebratae ; quos , cum nondum editi fuerint , heic addere vilum est , quò major sit hujus institutionis auctoritas . Plura porrò de hoc argumento dicturi alias sumus Deo juvante .*



### C O N C I L I V M T O L O S A N V M

H A B I T U M A N N O M C X I X .

**A**NNO ab incarnatione Domini M C X I X . octavo Idus Iunij , presidente venerabili Calixto Papa II . anno pontificatus sui primo , in Concilio Tolosano , una cum Cardinalibus , Archiepiscopis , Episcopis , Abbatibus Provincie , Gotie , Galconie , Hispanie , & citerioris Britannie , haec sunt capitula recitata , & assensu totius Concilij confirmata .

Videtur . v . 1 . Spicilegium pag . 15 .

I . Sanctorum patrum vestigis insistentes ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri auctoritate sedis apostolice omnibus modis prohibemus . Si quis autem sic ordinationem vel promotionem acquisiverit , acquisita prorsus careat dignitate .

II . Nullus etiam in Praepositum , nullus in Archiprebyterum , nullus in Decanum , nisi Presbyter , nullus in Archidiaconum , nisi Diaconus , ordinetur .

III . Portò eos qui religionis speciem simulantes , dominici corporis & sanguinis sacramentum , baptismum puerorum , sacerdotum , & ceteros ecclesiasticos ordines , & legitimarum dannant fœderam nuptiarum , tanquam hereticos ab Ecclesia Dei pelliimus & dannamus , & per potestates exterias coeteri præcipimus . Defensores quoque ipsorum eodem damnationis vinculo , donec resipuerint , innadamus .

IV . Primitias , decimas , oblationes , & cimieria , domos etiam , & bona cetera deficientis Episcopi & Clericorum à Principibus vel quibuslibet laicis diripi & teneri penitus interdicimus . Qui verò pertinaciter ista prælumpserint , ab Ecclesia liminibus tanquam sacrilegi arceantur .

V . Liberos homines , Clericos , seu laicos nulla omnino ecclesiastica secularis persona vinculo servitutis addicat .

VI . Nullus Clericorum pro ecclesiasticis Beneficiis servire laicos compellatur .

VII . Quartam decimarum & oblationum partem ad Episcoporum pertinentem nullus auferre præsumat .

VIII . Nullus Episcopus , nullus Presbyter , nullus omnino de clero ecclesiasticis dignitates & Beneficia cuilibet quasi jure hereditario detinquetur .

X . Illud etiam adjacentes præcipimus , ut profaci olei & chrismati & sepulturæ acceptance nulum venditionis premium exigatur .

X . Si quis ecclesiastica militia titulo insignitus , monachus , vel Canonicus , aut etiam quilibet Clericus , primam fidem irritat faciens , retrosum abierit , aut tanquam laicus comam barbamque nutriet , Ecclesie communione privetur , donec prævaricationem suam digna satisfactione correxerit .

P O S T habita illa Concilia , Raimundus Comes Barcinonensis scripto pollicitus est anno millesimo centesimo trigesimo septimo , biennio ante Concilium Lateranense Innocentij , se deinceps invasurum non esse bona Episcopi Barcinonensis . quod postea portatum est anno M C L , ad omnes cathedrales Ecclesias provincie Tarragonensis , laudabili exemplo ,

G G g iii

Illud enim paulò post secuta est religiosissima femina Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis; quæ sumilem sponzionem Petro Narbonensi Archiepiscopo fecit anno M C L V. confirmatam dein ab Hadriano quarto Summo Pontifice. Sed præstat heic describere ipsa eorum acta, partim ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis, partim etiam ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

Ex Chartulario  
Ecclesiæ Barcinonensis.

*Privilegium quod Raimundus Comes Barcinonensis & Marchio dedit, promisit, & vovit Deo & Episcopo Barcinonensi, se non emperare de aliquid sui episcopatus in morte vel vita.*

**A**D aeterni Regis honorem, necon ad sanctæ Crucis fanæque Eulalii sedis utilitatem. Ego Raimundus Dei gratia Barcinonensis Comes & Marchio, æquo animo, sincero affectu dono, voveo, offero omnipotenti Salvatori nostro Deo, atque Arnaldo Barcinonensis sedis electo, & omni ejusdem Ecclesiæ Canonicorum venerabili coetu, quod ab hodierna die in ante bona Episcopi ejusdem sedis, aut res quæ possessioni ejus pertinere videantur, sive in vita, sive post mortem, nullius personæ consilio imparem, nec imparati faciam, neque auferam, neque auferri faciam, nec alicuius occasionis ingenio defraudem, vel defraudari faciam. Sed deinceps ea sub tuitione mea recipio; ut semper omnia sub definitionis meæ auxilio tueantur, & potenter regantur. Adjicio iterum, quod Arnaldo Barcinonensis Ecclesiæ electo adjutor sum & defensor ad omnem sui episcopatus honorem habendum, tenendum & possidendum, & quod omnia supra scripta fideliter impleam; exceptis tantummodo castellis in quorum causis sive stabilimenti fuerim necessarius. Hoc autem devotionis meæ propositum nullus successorum meorum transgredi vel violare præsumat; sed omnis progenies mea hæc in perpetuum fideliter impletat. Quod est actum I I. Kal. Iulij anno dominicae incarnationis CXXXVII. post millesimum, Regisque Francorum junioris primo.

Ex Chartulario  
Ecclesiæ Barcinonensis, & ex archivo Episcopi Gerundensis.

*Privilegium quod Raimundus Comes Barcinonensis & Princeps Aragonum & Marchio in exercitu Almerie promisit Deo, quod in morte Episcoporum nil raperet vel acciperet de rebus defuncti.*

**A**D notitiam omnium fidelium volumus pervenire qualiter ego Raimundus natus Dei Comes Barcinonensis, Princeps Aragonum, ac Marchio, dum olim esse in procinctu itineris Almeria, divina mihi inspirante clementia votum vovi Domino Deo, atque in manu Domini B. Tarragonensis Archiepiscopi aliorumque Episcoporum, videlicet G. Barcinonensis, B. Gerundensis, P. Ausonensis, qui tunc ibi aderant, donavi, quod quandam nefariam consuetudinem, quæ quandam extiterat in cathedralibus Ecclesiæ nostri regiminis, extirpare & abolerem. Erat enim consuetudo ut decedentibus Episcopis bona pontificalia quæ in palatis & in castris & in dominicaturis ipsorum inveniebantur, à Bajulis & Vicariis patris mei & aliorum prædecessorum solorum diriperentur & distraherentur. Quod quia

agnovi alienum esse à divinis legibus & humanis, super diatam detestabilem consuetudinem, sicut tunc verbo delevi, sic nunc præsenti scripto in perpetuum evacuo & derelinquo, sicut melius ad utilitatem & dignitatem ipsarum sedium intelligi potest; ita videbile quod nec ego, nec ullus de filiis vel successoribus meis, nec aliquis vivens per nostram vocem in cathedralibus Ecclesiæ & in earum castris & dominaturis hoc deinceps possit exigere, expetere, vel habere. Sed omnia, quæcumque tam in pane, quam in vino, pecoribus, & pecudibus, & omnibus domorum utensilibus, omnibusque ad ius ipsorum episcopatum pertinentibus a decedentibus Episcopis fuerint congregata, cum omni integritate successorum Episcopis tradantur profutura. Hanc diffinitionem & evacuationem facio propter amorem Dei & remedium animæ meæ & parentum meorum, & ut omnipotens in hoc & in futuro seculo mihi indulget. Hoc decretum nostræ diffinitionis & evacuationis si quis infringere tentaverit, nisi resipuerit & satisficerit, iram Dei omnipotentis incurrat. Quod est actum V II. Idus Auguſti, anno dominicae incarnationis M C L. apud Gerundam, in anno regni Ludovici junioris xiv.

**I**N nomine Domini Iesu. Anno ab incarnatione ejus M C L V. Notum sit omnibus ad quorum auditum ista devenerint quod ego Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa recognoscens injuriam quam parentes mei & ego in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ huc usque perperam fecimus, iustitia instinctu & pietatis intuitu, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, per bonam fidem, & sine malo ingenio, solvo, quitpisco, derelinquo, & cum hac charta omnino desanporto Domino Deo & beatis martyribus Iusto & Paftori, & tibi Petro Narbonensi Archiepiscopo, & successoribus tuis in perpetuum, quicquid videbile rapere vel aliqua occasione accipere solebam ego seu aliquis pro me Narbone, sive in alio aliquo loco, in honore aut in bonis decedentium Archiepiscoporum perceptis vel percipiendis. Hæc, inquam, omnia ego jam dicta Ermengardi Narbonensis Vicecomitissa per me & per heredes meos solvo atque omnimodo Narbonensi Ecclesiæ in pace derelinquo, ita quod nunquam amplius liceat mihi sive heredibus meis per se vel per alios in toto honore & in ceteris rebus ad prælibatam Ecclesiæ pertinentibus ad læsionem ipsius Ecclesiæ ulla occasione aliquid accipere. Ceterum si aliquis Narbone, sive apud Crufcadas, in quibus locis ego defuncto Archiepiscopo hanc injuriam exercere solebam, in his quæ ad Archiepiscopum pertinent, sive sint honores, sive sint fructus percepti vel percipiendi, aut aliqua alia res, occasione defuncti Archiepiscopi aliquid ampataverit vel abstulerit, ego Ermengardi jam dicta Vicecomitissa ad id quod in jambitis locis ablatum esset recuperandum bona fide & sine enganno supradictam Ecclesiæ juvarem & defendarem. Hac igitur ratione ego Petrus supra memoratus Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus pro hac diffinitione & supra scriptæ injurie remissione, confilio Aldeberti Nemausensis, Petri Lodovenensis, Artaldi Elenensis Episcoporum, & Bertrandi Abbatis sancti Ägidij, & Poncij & Rotguerij Narbonensium Archidiaconorum, dedi tibi præfata Ermengardi Narbonensi Vicecomitissæ duo millia solidos Melgoriensis monetæ. Præterea ego Ermengar-

Ex Chartula  
Archiepiscopi  
Narbonensis.

dis Narbonensis Vicecomitis recognosco me iurasse cum charta de sacramentali tibi Petro memorato Archiepiscopo hæc omnia sicut superius scripta sunt me obseruatorum; & mandando atque obligo heredes meos in perpetuum ut hoc idem sacramentum semper Archiepiscopo, sicut in charta de sacramentali scriptum est, faciant. Factum est autem hoc apud Montempeßulanum, mense Ianuarij, xvii. Kal. Februarij, die Sabbati, sub Lodoico Francorum Rege de sancto Iacobo redeunte, in præsencia Petri Lodovensis Episcopi & Artaldi Elenensis Episcopi & Poncij & Rotgerij Narbonensem Archidiaconorum &c.

Ex Chamulario  
Archidiocesis  
Narbonensis.

**A D R I A N U S** Episcopus servus servorum Dei venerabilis fratri Berengario Archiepiscopo & dilectis filiis Archidiaconibus & universo clero Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam apostolica sedis curam Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus, quieti & paci universarum Ecclesiæ sollicita nos convenit attentione prospicere, & quæ pro earam tranquillitate acta viderimus, auctoritate apostolica confirmare; ita ut que semelad honorem Dei, decorum domus ejus, & salutem fidelium fuerint constituta, nulla diurnitate temporis in oblivionem negleguntur deveniant, nullaque machinatione pravorum à sua valeant stabilitate moveri. Dilecta verò in Christo filia nostra nobilis mulier Ermengardis Narbonæ domina pravam quandam consuetudinem, quæ contra Deum & Ecclesiæ vestram antiquitatem inleverat, divina legis amore ac tua, frater Archiepiscope, dilectionis intuitu abolere desiderans, ad remissionem peccatorum suorum instituit ut te vel tuorum succellorum quilibet obeunte, nullus Princeps, nullus Castellanus, nulla omnino secularis persona, episcopalia bona invadere, diminuere, aut perturbare præsumat, sed omnia futuro antisti inconcussa & integra conserventur. Ejus itaque nos pium comprobantes affectum, & tenuntiationem ipsius ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus & firmam & illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Archiepiscopo itaque, quicunque pro tempore fuerit, decenter nec terræ Princeps, nec Castellanus aliquis, sive Miles, nec secularis aliqua laicæ persona, sub obtentu alicujus consuetudinis, Narbonensis Ecclesiæ bona diripiæ vel directa audiat retinere. Si quis autem attentare præsumperit, & infra quadraginta dies præsumptionem suam satisfaciōne congrua non correrit, indignationem omnipotens Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurat, & tanquam sacrilegus fidelium communione privatum & vinculo se noverit excommunicationis adstrictum, & à nemine sine licentia Romani Pontificis aut Legati ex ejus latere definiati possit absolvī. Data Laterani v. Idus Decembri.

**A T T A M E N** pessima illa consuetudo non adeo abolita fuit in Gallia Narbonensi, tametsi illuc sub pena sacrilegij prohibita fuerit à Callisto secundo & Adriano quarto Summis Pontificibus, ut non & Gregorij non i'vo perseveraverit. Extant enim in archivo Archiepiscopi Narbonensis literæ illius Pontificis ad Archiepiscopum Narbonensem & ad Episcopos Magalonensem & Helenensem, quibus acerbè exigitat morem illum, & invasoribus bonorum episcopalium pœnam excommunicationis intentat. Partitum est for-

tassis præcepto Gregorij. Sed dein alio titulo hunc morem retinere conati sunt laici, prætextu videlicet conservationis bonorum Ecclesiæ, donec successor Episcopus fuerit ordinatus; ut constat ex epistola Innocentij quarti ad Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem, quæ extat in eodem archivio, & ex epistola Clementis quarti ad Episcopum Biterrensem, quæ descripsimus olim ex archivio Ecclesiæ Tolofana. Epistolas illas hec subiecere vñsum est, cùm specket ad materiam Regalium, de qua agitur in hoc libro.

**G R E G O R I U S** Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Magalonensi & Elenensi Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Ad audiendum nostram fama referente pervenit quod Senescalli & Balivi carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Franciæ in Narbonensi provincia constituti, decadentibus Ecclesiæ Pralariis in eadem provincia, castra, villas, & alia bona Ecclesiæ vacantium contra juris debitum usurpare ac id de novo in Ecclesiærum iuribus attentare præsumunt quod nullo tempore à prædecessoribus ipsius Regis vel alii occasione Regalium vel alia exitit attentatum. Vnde ipsi nostris dedimus literis in mandatis ut à prædictorum excessum præsumptione omnino defistant. Ideoque fraternali vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si dicti Senescalli & Balivi mandatum nostrum neglexerint adimplete, vos eos ab hujusmodi præsumptione cessare monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Proviso ne in terram dicti Regis extomunicationis vel interdicti sententiam proferatis, nisi super hoc à nobis mandatum receperitis speciale. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani xvi. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

**I N N O C E N T I U S** Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Episcopo Elenensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad autes nostras Ecclesiæ Gallicanæ querela perferente pervenit quod nonnulli regni Francorum Barones, Balivi, Præpositi, ac eorum & aliorum nobilium ejusdem regni officiales eandem Ecclesiæ contra libertatem ipsius graviter comprimentes, aliquando per se, aliquando ad mandatum dominorum seu majorum suorum, & interdum motu proprio, res & bona Ecclesiæ, hominum earundem, & ecclesiasticarum personarum capiunt, & interdum capi faciunt per eos qui suas contra ipsas Ecclesiæ vel personas exerunt actiones, ut per adversarios gravius infestentur, & capta, ut sic ab ipsis aliquid extorqueant, detinent pro sua arbitrio voluntatis. Eorum autem aliqui jus talia faciendi sibi ex eo vindicare nituntur, quod cum Ecclesiæ vel persona ecclesiastica sub eorum custodia sive adyvectione consistant, ex frequenti exercitio hujusmodi capionis se fore in possessione jurisdictionis hujusmodi exercenda per ipsos in Ecclesiæ vel personas ecclesiasticas, homines & res ipsarum, licet peccandi diuturnitas non jus eis sed damnationem afferat, & in subversionem privilegij ordinis Clericorum talis actus frequentia in consuetudinem convalescere nequeat, asseverant. Habebat insuper Ecclesiæ præfata querela quod vacantibus interdum Ecclesiæ seu

monasterii regni prædicti, si super provisione ipsorum duratura discordia oriatur, iudicem Barones & alij Barones prætextu guardiae seu advocationis ad bonorum temporalium eorundem custodiam difficiatores & consumptores deputant, non custodes, in enormem Ecclesiarum & monasteriorum spem lesionem. Feruntur etiam quidam esse Ballivi, Præpositi, & officiales eorum, qui multo carius solito sua emunt officia, spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactionibus que ab Ecclesiis, hominibus earum, & personis ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter, dum ratione guardiae seu advocationis hujusmodi eorum nomine, à quibus hujusmodi emunt officia, ecclesiastica bona capiunt, vel capi mandant aliquando eo tempore, agricultura videlicet, messum, ac vindemiarum, quo eisdem majora dama noscantur, et si vexationem suam ab ipsis redimant, imminete. Super quibus præfata Ecclesia apostolicum petuit remedium adhiberi. Quocirca fraternitatibus vestris per apostolica scripta mandamus quatinus præfatos Barones, Ballivos, Præpositos, officiales, & alios Narbonensis provincie, quotiens opus fuerit, ut ab hujusmodi Ecclesiarum & ecclesiasticorum personatum gravaminibus conqueant, attente monere ac efficaciter inducere studeatis: & si ad monita fuerint pertinaces, ipsos super iis per excommunicationem in personas & interdicendum in terras eorum, appellatione remota, veritate per vos vel per alios cogniti, compescatis. Non obstante si eisdem à sede apostolica sit indulxum quod excommunicari nequeant vel eorum terræ ecclesiastico subjici interdicto absque speciali sedis ejusdem mandato plenam vel exprellam seu de verbo ad verbum faciente de indulto hujusmodi mentionem, sive constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali, aut statuto Concilij Lugdunensis de aliquibus per generalem clausulam *Quidam alij ultra tres vel quatuor auctoritate literarum nostrarum in judicium non trahendis.* Nam cum privilegia mereantur amittere abusores eisdem, ecclesiastica immunitatis eversoribus, qui minus disciplinalis disciplina meritos patientur aculeos, nulla volumus privilegia vel indulgentias seu constitutionis beneficia suffragari. Quod si non ambo iis exequendis potueritis vel nolueritis interesse, alter veltrum, non expectato reliquo, ea nihilominus exequatur. Datum Perusij viii. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

*Concil. Lugduni.  
fus Janu. 4. c. 1.*

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Bitterensi salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Episcopus Tolosanensis quod cum fama volante in illis partibus mendaciter diceretur quod ipse viam fuerat universæ carnis ingressus, Vicarius in Tolosa dilecti filij nobilis vii Comitis Tolosæ, prætextu regalium quæ in bonis episcopatus Tolosanensis eidem Comiti indebet vendicare contendit, domos, bona, & cameras episcopales temerario austu intrare ac bona ipsius Episcopi ibidem inventa nequiter occupare presumpsit, certis tandem custodibus ad præmissorum domorum, bonorum, & camerarum custodiam deputatis. Verum cum hujusmodi præsumptionis excessus adeo esset notiorius quod nulla posset tergiversatione celati, Officialis Tolosanensis in dictum Vicarium & omnes dantes ei super hoc auxilium & favorem, canonica monitione præmissa, excommunicationis sententiam exigente

te justitia promulgavit. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit ut sententiam ipsam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolatâ, facias auctoritate nostra usque ad satisfactiōnem condignam appellatione remota inviolabilitatem observari. Datum Viterbiij xiiii. Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

### CAP V T XIX.

#### Synopsis.

I. *Principibus dein permisso est usus fructus reddituum Ecclesie vacantis. Inquiritur in causas hujus innovationis facta adversus canones. Profectum id ex collatione feudorum. Explicantur iura feudorum.*

II. *Primus omnium Clodovens Rex iura regia continuit Ecclesias. Beneficis quoque in Ecclesias fuit Rex Pippinus. Prudens Caroli magni consilium in distribuendis feudis in gratiam Episcoporum. Affluentia donationum orta est ex liberalitate Episcoporum, qui de antique penitentia rigore pro modo liberalitatis remittebant in eorum gratiam qui liberales erant erga Ecclesias.*

III. *Ius illud Principibus questum in bona ecclesiastica ex conditione feudorum, ancum deinde fuit ob necessitatem affensus regi in electionibus Episcoporum. Quæ consuetudo introducta à Concilio quinto Aurelianensi, vires accepit ab edito Clorarij secundi.*

IV. *Reges nostri in Præceptis suis episcopalem dignitatem committebant electis.*

V. *Hincmarus recte explicat quod referenda sit illa Principum concessio. Illam enim intellexi de afferentia regis & de administratione facultatum Ecclesie quam Rex committebat electo.*

VI. *Concessio illa bonorum ecclesiasticorum, & consensus electioni adhibitus, explicantur. vocabulis laudandi & invictandi in decreto Hadriani primi in synodo Romana facto, quod decretum esse suppositionem affirmant viri eruditissimi.*

VII. *Refellitur Baroni, qui existimavit leges Capitularium derogare huic concessione & investituram. Investitura feudorum siebant cum quadam solemnitate, veluti per festinum, per ramos arborum, & alia similia. Concessio vero episcopatus siebant per annulum & baculum.*

VIII. *Sanctus Romanus Rothomagensis Episcopus in pontificis sece institutus est post acceptum à Clodoveo secundo baculum pastoralem. Probabile est ita à sequentibus Regibus usurpatum. Idipsum usurpabatur à Regibus Anglie.*

X. *Gregorius septimus ferre non potuit hanc investituram usum. Itaque cum prohibuit in variis Conciliis. Primus autem omnium, ut adnotat Vuldeinus Malmeburiensis, Episcopos excommunicavit, si investituram à laicis acciperent per baculum & annulum. Tum laicos etiam excommunicat si eam concedere presumperint.*

XI. *Inquiritur in causas hujus prohibitions.*

XII. *Spreta tamen hac prohibitione Principes retinuerunt usum investiturarum.*

XIII. *Nam iussa illa Gregorij efficer non poterunt ut Reges antiqua maiestatis privilegia abolerirent. Ac præterea repugnabant Episcopi hanc novitatem.*